



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 89. Titulus IX. De Ecclesiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

Sæcul. XVI. stica, & Canonica servare teneantur ii,  
A. C. 1584 quibus indicta fuerint.

§. LXXXIX.  
*Titulus IX. De Ecclesiis.*

Quatuordecim Canonibus titulus nō  
nus de Ecclesiis, & Basilicis ab-  
solvitur, ubi primus Canon præcipit,  
ut Ecclesiæ bellorum, incendiorum, tem-  
porum injuria, seu vetustate collapsæ re-  
stuantur, & restaurentur, cum ex col-  
latione populi, tum ex eorum, ad quos  
pertinet, sumptibus, si adsint facultates,  
idque Episcopi curent, & statuant.

Canon II. In parochiis, ubi Eccle-  
siæ dirutæ sunt, nec est exercendis sacri  
locus, ematur, aut conducatur sumptu  
populi, aut eorum, ad quos pertinebit,  
domus congrua: in qua cum licentia Epi-  
scopi super altari portatili Missæ di-  
vini officium celebretur, donec locus ido-  
neus perpetuo Ecclesiæ destinetur, aut Ec-  
clesia antiqua cœdificetur.

Canon III. In Monasteriis, Prio-  
ratibus, capellis, leprosariis, eleemosyna-  
riis, si quæ Ecclesiæ, & domus destructa  
sunt, redditu, & sumptibus eorum, ad  
quos ejusmodi beneficia pertinent, aut qui  
ea possident, restaurentur, & ad id ab  
Episcopis locorum compellantur, pœnis,  
& censuris Ecclesiasticis, tum etiam red-  
ditus prehensione.

Canon

Canon IV. *Ad Ecclesiarum Parochialium custodiam non admittantur, neque præficiantur nisi viri pii, & idonei, & qui prius a Parocho, & populo probati sint: certis horis Ecclesiam aperiant, & claudant, & eam mundam, nitidam, sartam tectam habeant: nec quidquam profanum intromitti sinant, nec eam separari, dividiri, aut ad alios usus quam Ecclesiasticos converti permittant, neve in ipsis, aut earum porticu mercaturæ exerceantur.*

Sacul.XVI.  
A.C.1584.

Canon V. *Nemo canes, aut aves in Ecclesiam introducat, præsertim in chorum: si quis Ecclesiasticus secus fecerit, privatione distributionum, arbitrio eorum, qui Ecclesiis præsunt, multetur.*

Canon VI. *Curabunt custodes Ecclesiarum, ne mendici per Ecclesiam vagentur, aut chorum introeant petendæ eleemosynæ prætextu, divini officii, vel concionis tempore, sed in foribus Ecclesiarum eleemosynas expectent.*

Canon VII. *Iidem Ecclesiarum custodes altaria, & fontes baptismi, sed præter omnia majus altare, Sacramentum Eucharistiae, & oleum unctionis observent, ne ab aliis, quam a Sacerdotibus, hæc omnia contredientur, & operam dent Rectores, ut singulis mensibus Eucharistia renovetur, & in tabernaculis servetur ad majus altare, & fontes baptismales ex-*

L 4

penfis

Sæcul. XVI. A.C. 1584. *pensis parochianorum, ubi non fuerint, restituantur.*

**Canon VIII.** *Rixas, contentiones, jurgia, absurdas cantilenas, inambulationes, tractatus negotiationum, & commercia ab Ecclesiis removeant.*

**Canon IX.** *Vasa sacra, linteae, seu mappas altarium, candelas, & candelabra, & cetera ornamenta Ecclesiae omnium diligentia, & reverentia servent, & proponant, & eorum omnium rationem, cum rogati fuerint, reddant visitanti Episcopo, vel ejus Vicario, aut etiam Archidiacono, ubi jus visitandi habet.*

**Canon X.** *Ad Ecclesiae obsequium panem, vinum, & aquam ad conficiendum Sacramentum Eucharistiae semper recentia habeant, & decenter servent, & propo-*

**Canon XI.** *Campanarum, & Organorum curam gerant, ut tempestive, & pro more Ecclesiae pulsentur: profanæ autem cantilenæ non resonent.*

**Canon XII.** *Curent, ne libri cantus Ecclesiastici, lectionum, Missæ, & alii intercidant, confringantur, vel oblitterentur, neve a laicis tractentur promiscue.*

**Canon XIII.** *Altaria diruta restituantur, nova, & polluta consecrentur, & benedicantur.*

**Canon**

Canon XIV. Non liceat Ecclesiæ, Sæcul. XVI.  
capellas, seu Sacella, & Oratoria con- A.C.1584.  
struere nisi cum Episcopi licentia.

## §. XC.

*Titulus X. De Reliquiis Sanctorum.*

**T**itulus decimus quinque Canonibus  
absolvitur, quorum primus his ver-  
bis est conceptus: *Curent Episcopi, ut  
Reliquiarum honor populo Dei prædicetur.*

Canon II. Reliquiæ non ostendan-  
tur extra capsam, nisi ex solemni more,  
& ritu alicujus Ecclesiæ id fiat, sed cum  
honore, & reverentia serventur.

Canon III. Non transferantur San-  
ctorum Reliquiæ sine auctoritate summi  
Pontificis, vel Episcopi, vel Concilii.

Canon IV. Siquæ Sanctorum Re-  
liquiæ suis capsis spoliatae adhuc injuria  
temporum restitutæ non sint, novis vascu-  
lis, & capsis recludantur, & benedican-  
tur, nec temere recipiantur, sed appro-  
bentur auctoritate summi Pontificis, aut  
Episcopi loci, qui juxta decretum Con-  
cilii Tridentini easdem prius agnoscat:  
si quæ in domibus privatis sint, auctori-  
tate Episcopi ad Ecclesiam reducantur.

Canon V. Ab Ecclesiasticis personis  
deportentur in supplicationibus publicis,  
non a laicis, nisi forte ex antiqua, aut  
laudabili consuetudine Ecclesiarum, & la-  
corum id illis concessum sit.

L 5

§.XCI.